



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus**

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Coloniae Agrippinae, 1645**

Seculum septimum ab Anno 600. ad 700.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)



editionis secundæ, sed in Ecclesia celebrantur maxime illa de sancta Cruce, Vexilla Regis prodeunt: & Pange lingua gloriosi.

*De Euagrio. 596.*

**E**vagrius Scholasticus scripsit historiam Ecclesiasticam libris sex, ab eo tempore in quo desit Sozomenus usque ad annum 12. Mauritii Imperatoris, id est, ad annum Domini 597.

*De sancto Gregorio Turonico. 596.*

**G**regorius Turonensis Episcopus floruit imperante Mauritio, & sancto Gregorio Papa aliquanto senior fuit: siquidem anno septimodecimo inchoante Episcopatus Gregorii Turonici, Gregorius Papa creatus est & anno 21. completo in Episcopatu suo Gregorius Turonicus obiit: cui supervixit Gregorius Papa annis octo. Itaq; Gregorius Turonicus obiit anno Dom. 596. Gregorius autem Papa anno Dom. 604. Hæc ex Breuiario vitæ S. Gregorii Turonici, & ex vitæ sancti Gregorii Papæ decerpta sunt. Scripsit S. Gregorius Turonicus.

De historia Francorum, lib. 10

De gloria Martyrum, 1

De gloria Confessorum, 2

De miraculis sancti Iuliani, 1

De miraculis sancti Martini, 4

Alia præterea scripsisse dicitur, quæ vel non extant, vel certe ad notitiam meam non perueverunt.

**Seculum septimum ab Anno**

**600. ad 700.**

*De S. Gregorio Papa.*

**S**anctus Gregorius Papa sanctissimus, & doctor eximius, & merito magnus appellatus, floruit Iustini, Mauritii, & Phocæ temporibus, & anno 14. pontificatus sui, salutis autem 604. obiit. Scripsit:

Moralis expositionis in Iob, lib. 38

L 5 De



De cura pastorali partes tres,	1
Dialogorum cum Petro,	4
Expositionis in Cantica,	1
Expositionis in Ezechielem, homil.	22
In Euangelia, homil.	40
Expositionem in Septem psalmos Pœnitentiales.	
In primum librum Regum, lib.	6
Epistolarum, libros duodecim.	
Decreta nonnulla.	
Responsiones ad undecim interrogationes Augustini Episcopi Anglorum.	

*Observatio.*

Sanctus Ildephonsus in lib. de viris illustribus, qui ex-  
rat inter opera S. Isidori, primo loco ponit S. Gregorium,  
eumq; omnibus scriptoribus anteponebat, meminit autem  
librorum quos supra enumeravimus, exceptis libris in  
Iob, in primum Regum, in Psalmos, & in Euangelia, sed  
addit, non omnia eius opera enumerasse. S. Isidorus in li.  
de Script. Eccl. meminit Moralium in Iob, & homil. in  
Euangelia, sed & ipse fatetur, ad se non peruenisse omnia  
opera S. Gregorii. Extant nunc præter libros supra scri-  
ptos, Antiphonarium, cuius meminit Sigebertus, & liber  
Sacramentorum, siue Sacramentarium, vide editionem  
Romanam anno 1593.

*De Hesychio, siue Isychio. 607.*

**H**esychius, siue Isychius Episcopus Hierosolymita-  
nus: tempore S. Gregorii vixit: nam ad eum est epist.  
40. lib. 9. ex registro S. Gregorii. Neque alius inuenitur  
Episcopus Hierosolymæ; qui dicatur Hesychius vel Isy-  
chius ante istum. hic igitur scripsit in Leuiticum libros  
septem, & exponit versionem S. Hieronymi, quod est ar-  
gumentum, auctorem hunc esse posteriorem Hierony-  
mo, & Augustino, & aliis veteribus, non enim cœpit  
versio S. Hieronymi esse in usu Ecclesiarum, nisi  
satis diu post obitum sancti  
Hieronymi.



De S. Sophronio Episcopo. 630.

**S**anctus Sophronius Episcopus Hierosolymitanus, vixit tempore Honorii Papæ I. & Heraclii Imperatoris, & initio hæresis Monothelitarum in signis fuit defensor fidei Catholicæ. Extat epistola ipsius ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum in sexta Synodo, Act. 11. Extant etiam in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 2. edit. 2. duo sermones eius, vnus de natali Domini, alter de Angelis. Obiit anno Dom. 634. ex Card. Baronio, tomi. 8. Annalium.

De Ioanne Moscho. 630.

**I**oannes Moschus, alias Euiratus, scripsit ad sanctum Sophronium Episcopum Hierosolymitanum librum, qui dicitur Pratum spirituale, atque hinc fortasse factum est, vt nisi Sophronio, à multis hic liber tribuatur. Extat in tomo septimo Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ. Et quidem liber est magna ex parte utilis, & citatur in septima Synodo.

De Leontio. 630.

**L**eontius tempore Heraclii Imperatoris vixit, & sancti Ioannis Episcopi cognomento Eleemosynarii æqualis sui admirabilem vitam literis mandauit. Obiit sanctus Ioannes anno vndecimo Heraclii, qui fuit annus Dom. 620. Hic liber testimonium habet à Synodo secundâ Nicæna, & vere lectu dignissimus est.

De Iona. 630.

**I**onas Angelus, siue Hybernus tempore eiusdem Heraclii scripsit vitam, & res gestas sancti Columbani (vt apud Bedam libr. quinto histor. gentis est suæ cap. decimo septimo) qui vt nouus quidam Apostolus Angliam, Gallias, & Italiam mirifice illustrauit. Obiit anno sexto Heraclii, qui erat annus Dom. 615. Extat hæc vita apud Surium die 21. Nouembris.



**A**ntiochus Monachus. vixit Heraclii tempore & centum viginti novem homiliis (quæ exstant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 2. edit. 2.) deploravit ingentem illam calamitatem, quæ contigit anno 14. Heraclii, cum Hierusalem à Persis capta, & lignum sanctæ Crucis in Persidem asportatum fuit: quo tempore Christiani plurimi, ad nonaginta millia, Judæis vilissimo pretio diuenditi, atque ab eis crudeliter morte necati dicuntur.

## De S. Isidoro Hispalensi. 630.

**S**anctus Isidorus Hispalensis Episc. sedere cepit in Episcopali sede anno 596. & anno 636. migravit in caelum, ut ex Chronicis Hispalensibus intelligitur: Scripsit multa, quorum Catalogum his verbis texit S. Hildephonus in libro de viris illustribus.

Scripsit inquit, opera eximia, & non pauca, id est,  
Librum de genere officiorum.

Librum proœmiorum.

Librum de ortu, vel obitu Patrum.

Librum commentariorum, quem Synonyma vocavit.

Libellos duos ad Florentinam contra nequitas Iudæorum.

Librum de natura rerum ad Siburum Principem.

Librum differentiarum.

Librum Sententiarum.

Librum quæstionum, siue expositionis Sacramentorum.

Librum Etymologiarum, quem non complevit. Hæc ille.

Sed in edit. Parisiensi anni 1601. adduntur isti libri.

De contemptu Mundi, Norma viuendi.

Exhortatio ad pœnitentiam.

Lamentum pœnitentiæ, versu, & alphabetice editum.

Oratio sancti Isidori prolixa ad peccata deslenda.

Oratio breuior contra insidias Diaboli.

Epistol.



Epistol. ad Massionum de lapsu, & reparatione Sacerdotis.

Chronicum ab initio Mundi vsque ad annum quingentesimum, Suintilianus Regis Gothorum.

Chronicum Gothorum.

Historia Vaandalorum.

Historia Sueuorum.

De Antiocho Rege, & martyrio Machabæorum.

De Scriptoribus Ecclesiasticis.

De natiuitate Domini, Passione, Resurrectione, Regno, & Iudicio ad Florentinam sororem.

De uocatione gentium ad eandem.

Epistola ad Ludifredum de Episcopi, & aliorum clericorum in Ecclesia officio.

Sententiarum, siue de summo bono libri tres.

Regula Monachorum.

De conflictu vitiorum, & virtutum.

Expositio in Cantica Canticorum.

Liber de uiris illustribus.

Glossarium ex diuersis, quæ nomine Isidori Hispalensis circumferuntur collectum.

#### Observatio.

Mirum est, vnde tot opera S. Isidori prodierint, quorum non meminit S. Hildelphonsus qui eadem ætate vixit qua Isidorus ipse. Ideo suspicor, hæc non esse ab ipso S. Isidoro scripta, sed ab aliquo alio superaddita. Certe liber de contemptu mundi, & Norma viuendi decerpta sunt ex libro Synonymorum. Item chronicum decerptum est ex libro 5. Etymologiarum: aut si non inde decerptum est, non est verisimile chronicum bis ab Isidoro scriptum.

Porro quæ dicuntur in editione Parisiensi Commentaria in Genesim, Exodum, &c. dicuntur à sancto Hildelphonso, quæstiones, siue expositiones Sacramentorum, ex variis auctoribus collectæ: & qui sunt duo libri ad Florentinam sororem, de natiuitate Domini, &c. & de uocatione gentium: fortasse sunt duo illi, quorum meminit



meminit sanctus Hildephonus, contra nequitiam Iudæorum. Et qui vocantur in editione Parisiensi de officiis Ecclesiasticis, vocantur a sancto Hildephonso, de genere officiorum.

*De S. Eligio Episcopo. 640.*

**S**anctus Eligius Episcopus Nivernensis, scripsit homilias sexdecim, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo secundo edit. 2. Obiit anno 665. teste Sigeberto in Chronico: cuius vita scripta satis diligenter libris duobus a Beato Audoeno Rothomagensi præposito, extat apud Surium die 1. Decembris.

*De Esaia Abbate.*

**E**saias Abbas; qui quo tempore vixerit inuenire non potui, scripsit homil. 29. valde vtilis præsertim Monachis ad perfectionem tendentibus. Extant in Bibliotheca sanctorum Patrum toto secundo, editionis secundæ.

*De S. Maximo Martyre. 650.*

**S**anctus Maximus Monachus Constantinopolitanus & Martyr clarissimus vixit temporibus Honorii Papæ primi, & Heraclii Imperatoris: Obiit autem sub Vitaliano Pontifice, & Costante Imperatore anno Domini 660. Scripsit plurima, quorum Catalogum refert Card. Baron. tom. 8. Annalium; nunc extat insignis disputatio habita in Africa contra Pyrrum Monothelitam, quam Græcam & Latinam edidit idem Cardin. Baronius in appendice ad octauum tomum Annalium. Extat etiam in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. secundæ liber de Ecclesiastica mystagogia: extant quoque Scholia in S. Dionysium areopagitam Græce, & Latine edita Parisiis cum operibus sancti Dionysii. Extant denique to. 5. eiusdem Bibliothecæ SS. Patrum Centuriæ S. Maximi de charitate, & de Incarnatione Verbi: sed cum translatae sint in linguam Græcam in Latinam opera hæreticorum, non multum illis fidendum est. Solent enim hæretici in auctori-  
bus



bus bonis transferendis sæpe ad suos errores sententias auctorum bonorum accommodare.

*De Sancto Hildephonso Episcopo Toletano. 658.*

**S**ANCTUS Hildephonsus Episcopus Toletanus, factus est anno Domini 658. tempore Vitaliani Papæ. Obiit anno Domini 667. Scripsit insignem tractatum de Virginitate Beatæ Mariæ, & alium de perpetua Virginitate, & parturitione eiusdem sanctissimæ Deiparæ, & sermones duo decim de eadem, quæ omnia extant excusa Parisiis apud Niuellium anno 1575. & inueniuntur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. Extat item liber de viris illustribus: inter opera S. Isidori Hispalensis, sed cum titulo sancti Hildephonsi: alia multa & versu, & prosa scripsisse dicitur, quæ non extant. Ob singularem deuotionem erga Beatissimam Dei Matrem, & defensionem perpetuæ Virginitatis eiusdem Virginum Regina; meruit iste felix Antistes non solum in terris intueri eam diuino splendore fulgentem, sed etiam ab ea donari præclara veste Sacerdotali, & quod summo gaudio animam eius repleuit, certus reddi de veste gloriæ post beatam mortem consequenda: quæ omnia scribit Iulianus eius Diaconus, præfatione in librum Sancti Hildephonsi, de laudibus intemeratæ Virginis Mariæ.

*De S. Iuliano Episcopo Toletano. 680.*

**S**ANCTUS Iulianus Episcop. Toletanus creatus est anno Dom. 680, & post annos decem obiit. Scripsit tres libros aduersus Iudæos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. edit. 2. Scripsit etiam tres libros de futuro seculo, quos Prognosticon vocat, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. admonet autem Cardin. Baronius in notis ad Martyrologium die 8. Martii, sanctum Iulianum Episcopum Toletanum non recte vocari Iulianum Pomerium: duo enim fuerunt Pomerii, vnus Presbyter, qui simpliciter dicebatur Pomerius à Gennadio, sed ab Isidoro, & ab ali.



& ab aliis dicitur Iulianus Pomerius; quem Gennadius Massiliensis in Catalogo illustrium virorum, scribit, suo tempore vixisse, id est, ante annum Dom. 500. atque hic videtur esse ille, quem tam sæpe citat in suo Prognostico sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus, de quo nunc agimus. Alter fuit Iulianus Pomerius Diaconus, qui præfationem addidit ad libros S. Ildephonsi, de quo paulo ante meminimus. Hic autem sanctus Iulianus vivebat Aera. 724. id est, anno Dom. 686. Sed cum auctor huius operis in Epistola ad Regem Ervigium se Iulianum Pomerium nominet, non video, cur non ipse Iulianus Pomerius dici possit, ut sint tres Iuliani Pomerii, vnus Presbyter alter Diaconus, & tertius Episcopus.

*De Anastasio Nicæno.*

**A** Anastasius Nicænus Episcopus vixit post Concilium Trullanum, quinifextum à Græcis nuncupatum, quia canones addidit Concilio quinto & sexto generali: citat enim hic auctor canonem secundum Trullanum. Scripsit responsionem ad interrogationes de multis capitibus Ecclesiasticis. Vide Bibliothecam sanctorum Patrum, tomo primo edit. secundæ, vbi, nota: margiales caute legendæ, aut potius delendæ sunt, quia non sanam doctrinam continent.

Seculum octauum ab Anno  
700. ad 800.

*De S. Gregorio Iuniore. 714.*

**S** Sanctus Gregorius Papa II. siue Iunior sedere cœpit anno salutis 714. sedit annos 17. obiit anno 731. Scripsit varia opera, sed extant solum Epistolæ doctissimæ, & multæ, quarum vna ad sanctum Germanum extat in 7. Synodo Actor. 4. duæ Græce, & Latine ad Imperatorem Leonem Isauricum, extant apud Card. Baronium tomo Annalium 9. ad annum 13. Gregorii II. apud eundem extant epistolæ ad Bonifacium anno vnde cimo Pontificatus, &